



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Dachatius M. 15. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Hic NICASII Rhemensis Pont. & sororis ejusdem germanæ EUTROPIÆ est. Fudit Attila, ebrius jam dudum ab alio. Rem breviter sic habe. Flaggellabat Gallias dux barbarus, jamque Rhemensibus etiam malum minabatur, cum cives ad asylon suum NICASIVM confugerunt. Ille extium urbi vaticinatus edixit peccata esse, quæ Attilam armassent; hæc si ponerent, illum quoque exarmandum. Interim brevi morte æternam ut redimerent, suasit, neque jam pro se hosti, sed pro hoste Deo supplicarent. Se vitæ hucusque ducem, non abnuere, quin mortis etiam esset. Ita latus EUTROPIA stipante obviām hosti ad D. VIRGINIS progreditur, & humi nixus dum versum Davidis canere incipit, caput gladio amittit, carmen tamen etiam mortuus absolvit. Satis spectatum esse soror putavit. Quare cum formæ miles parceret, execrata crudelem misericordiam in oculos carnificis involat, mortemq; invitam in se armat. Interea contra barbaros cælum movit, cuius copiæ visæ, simul iratæ è templo voces in fugam illos conjecerunt. Ad Martyrum verò corpora tam diu lucere faces suas sidera voluerunt, dum terrâ tegerentur, splendore olim his ipsis certatura. Ex Surio.

*Carnem affixisse, libidinem superasse, avaritiae restitisse, de mundo triumphasse, pars magna martyrii est. Ergo si tormenta Martyrum preferre non possumus, vel contra malas concupiscentias repugnemus. S. Aug. serm. 4. de Mart.*

## S. DACHATIUS M. 15. Decembris.

DACHATIUS Palæstinus sex fratres germanos fertur numerasse, ipse septimus, imò inter Ccs omnes

omnes primus meritò laudatur. Nam cùm pater exigui lucelli spc , quam rex Saracenus ostentabat , inductus , à Christo ad Mahometis partes malum pedem tulisset , repressit suum DACHATIVS , rectè sic à parente degener. Pòst ubi mortem infelicem sed debitam sceleri tanto pater operiuit , DEI ductu & matris optimæ , Jerosolymas abiit , tinctusque Christianis undis in D. Sabæ cœnobio , ingentibus , quæ posteà edidit , præliis egregius sui victor prælufiit . Tum denique & cæli ope & suâ virtute satis armatus in patriam excurrit , & cùm matri copias junxit , post multas pugnas fratres omnes dare manus vietas Christo coëgit . Unum tantum excipe , qui fide non germanâ , sed Punicâ sanè , DACHATII nomen ad Prætorem detulit . Hic vincitum ad Tribunum misit . Sed neque fratribus perfidia , neq; carnificum tormenta tantum potuerunt , ut non vinceret DACHATIVS . Victor igitur caput gladio submisit tot civicis coronis condecorandum , quot patriæ cælesti cives fratres servavit . Ex Meneis .

*Nihil est quod anima possit equiparari , ne universus quidem mundus . Itaque si immensas pecunias pauperibus eroges , plus tamen effeceris , si unam converteris animam . S. Joan. Chrysost. super Psal. 48.*

### S.CHRISTIANA ANCILLA IBERA.

15. Decembris.

**H**UJUS quoque nomen nescimus . credo , quia virtus supra cælos hoc evexit . Illud satis constat , vixisse , cùm rerum Constantinus potiretur , & Iberis servitutem serviisse ; ceterū præter conditionem servile nihil habuisse , quin ab hac SERVA Iberos pileum libertatis Christianæ accepisse .